

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Minerva, sive de causis latinae linguae commentarius**

**Sánchez, Francisco**

**Schoppe, Caspar**

**Perizonius, Jacobus**

**Franequera, 1687**

Cap. XII. - De praepositione

[urn:nbn:de:bsz:31-109138](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-109138)

Gellius lib. I. c. 8. docet, apud antiquos in usu fuisse hanc vocem, *Amaturum* in infinito, sine numeris, generibus, aut personis, ita ut purum verbum, non participium deberet appellari, ut Gracchus; *Credo ego inimicos meos hoc dicturum.* [Varro I. rust. 68. *Pensilia, ut uva, mala, & sorba, si non demseris ad edendum, ad abjiciendum descensurum seminantur.* Valerius Antias; *Si res divina facta essent, omnia ex sententia præcessurum esse.* In talibus autem nisi sit Syllepsis numeri, generis, aut utriusque Ellipsin constituere licet, quasi subaudiatur, *Negotium*, id est, Res, credo inimicos esse negotium talia dicturum; *Omnia sunt hominum tenui pendentia filo, subaudi, negotia*, ut *Negotia hominum, dicatur Homines*; sicut Cicero dixit *Callisthenis negotium*, pro *Callisthene.*]

## CAP. XII.

## De Præpositione.

**P**ræpositio est vox expers numeri, quæ casibus præponitur, & in compositione reperitur. Proprium itaque est præpositionis, anteire casum nominis: nam si secus fiat, figura est anastrophe, neque propterea natura præpositionis mutatur. Contra sentit I. Scalig. de causis ling. Lat. adducitque illa trita, *Mecum, tecum, secum, transra per, &c. sed falso: Rectum enim erat, cum me, cum te, &c.* Præpositio inter particulas principatum obrinet, propterea quod casus regat, quum ceteræ omnes casum regere non possint, etiamsi aliter Grammaticis videatur. Putidum autem commentum est,

est, verbum regere casum aliquem media præpositione; ut si dicas, *Abstineo me à pecuniis*, quum omnis ablativus necessariò à præpositione regatur, ut jam diximus. Et in hac oratione; *Omnes ibi erant præter Catonem*, nonne monstri simile est dicere, *Catonem regi à verbo*, erant?

Ex numero præpositionum, quas Grammatici pertinaciter asserunt, aliquas sustulimus, supra lib. 1. quam de earum natura egimus.

*Quapropter*, *quamobrem*, præpositionis est Anastrophe, Grammatici vocant conjunctiones: sed *quapropter*, id est, *propter qua*, vel *propter que*; ut, *si qua*, *neque*, sunt accusativi antiqui. *Quamobrem*, cur in singulari sit conjunctio, & in plurali non item; ut, *quas ob res*, non video; „ alioquin & *hanc ob rem*, conjunctio erit, quo Lucretius utitur lib. 6. *Frigidus* „ *hanc ob rem fit fons in luce diurna.*]

*Quocirca*, id est, *circa quod*, eodem modo per anastrophem dicitur, ubi *d* aufertur, euphoniæ gratia. Sic Cæsar Scaliger: *mihî tamen* *quod*, est accusativus pluralis, id est, *circa que*, ut mox dicetur in conjunctionibus.

*Am*, regebat olim accusativum; ut, *Am terminum*, unde *ambire*, *ambarvalia sacra*; nunc tantum in compositione reperitur.

Præpositiones casu destitutæ mihi adverbia non sunt, sed confugiendum ad ellipsin: deest enim casus rectionis; ut in illo Virg. *Longo post tempore venit*, id est, in longo tempore, post id tempus. Vide Ellipsin Præpositionum.

Vide ad  
pag. 151.

CAP.